


**05  
A  
207**



*Dub R 577*

*Q. B. V.*

DISPUTATIO INAUGURALIS  
*De*  
**EXCEPTIONE**  
NON NUMERATÆ  
PECUNIAE

*Quam*  
TRINUNO NUMINE  
*auxiliante*

Nobilissimo JCtorum Ordine

Consentiente ac jubente

*In Illustri Leucoreâ*

PRÆSIDE

*Nobilissimo, Amplissimo, Consultissimo & Excellentissimo*

**DN. SAMUELE RÖTZECKI**

J. U. D. Professore Publico, Facultatis Juridicæ h. t.

Decano Spectabili, nec non Supremi Tribunalis Witteber-

gensis ac Seabinatus Assessore gravissimo

Domino Patrono & Promotore suo æviternum

devenerando

*pro obtainenda*

**LICENTIA**

summos in utroquè jure honores consequendi

*publicæ disquisitioni sifit*

*In Auditorio Majori*

ad d. Januarij

**ZACHARIAS SCHWANDT** / Jütrebocensis.

WITTEB. Literis JOHANNIS RÖHNERI, Academ. Typographi 1657.

*6.*

*R 577*



05 A 207



# Supremo Salvatore Juvante.

§. I.

**D**E Exceptione non numeratæ pecuniae (materiam quæ suâ prolixitate & difficultate non destituitur,) pauca præcipua tamen dicturo, non immerito ea quæ ad nominis explicationem pertinent, præmittenda erunt. Quam in rem noto huc, duplices præcipue in jure nostro dari exceptiones, Quædam etenim meræ dicuntur, definiunturq; quod sint vel conditiones, quæ eximunt Reum à damnatione. l. 22. ff. de Except. Zangerus de except. p. 1 c. 3. n. 19. vel defensiones rei conventi. arg. princ. 3. de Except. Vultej. lib. 2. Jurisp. c. 24. n. 1. vel (rectius) exclusiones quædam, quæ opponi actioni cujusquæ rei solent. Excell. Dn. Præses in disp. suâ inaugur. de Exception. tb. 2. quæ & Juri Gentium non immerito adscribuntur, sicut & ipsæ actiones. Harpprecht ad pr. 3. de act. n. 26. Bachov. ad Treutler. vol. 1. disput. 1. tb. 4. D. & vol. 2. disput. 26. tb. 1. A. Riemer. dec. 13. contr. 1. Quibus etiam præscriptio non obstat, ne quidem 100. annorum. Wesembec. nae ff. de dol. n. 8. & de Except. n. 12.

A 2  
3.

§. 2. Quæ-

### §.II.

Quædam verò non tantum per modum' Exceptio-  
nis, sed etiam per formam agendi, vel per implora-  
tionem officij Judicis proponi possunt. *Wesenbec.* d. l. de  
*Exception.* Exempla quamplurima ex legibus proferri  
possunt. Est talis *l. fin. C. de Edict. D Hadr. toll.* Ita potest  
**Comes** qui possidet castrum rectè petere se declarari  
Comitem ad suæ possessionis confirmationem. *Menoch.*  
*remed. adipisc poss. 4 qu. 44. n. 349.* Est talis *l. si contendat. 28.*  
*ff. de Fidejus.* quæ quomodo differat à famosâ *L. diffama-*  
*ri. C. de ingen.* *G manum.* proponit *Herning de Fidejus-*  
*sor. c. 25. n. 133. seqq.* & formulam ejus tradit *Tusbus lit. A.*  
*concl. 242. E lit. D. concl. 411.* Petrus *Heigius p. 2. q. 8. n. 4. seqq.*  
Plura exempla videre licet apud *Zanger um de Exc. part. 2.*  
*c. 18. n. 50 seqq.* Pertinet tamen hinc etiam Exceptio nostra.  
*Wesenb. naq. ff. de Except. n. 12. Magnif. Dn. Carpzov. p. 1. const.*  
*32. def. 79 Zoesius ff. de Obl. E act. n. 23.*

### §.III.

De vocabuli *Pecunia* varijs acceptio-ibus alibi  
überimè tractant Doctores. Nos sumimus illud hīc,  
prout in materiā Mūtui accipi solet. Nimirum uti  
loquitur *Paulus in l. 2. §. 1. ff. de reb. credit.* pro rebus, quæ  
in genere suo functionem recipiunt. Uti & *Vlpianus*  
verba, quas pecunias legavit, in *l. 30. ff. deleg.* i. explicat de-  
ijs, quæ pondere numero & mensura constant. Alias  
verum omnino est, vocabulum hoc *Pecunia* quoties  
extra hanc materiam refertur ad res fungibles, tantum  
sumi pro nummis seu numerato & signato ære; auro &  
argento. *Dd. commun. ad l. 1. ff. de const. pecun.* E ad rubric.  
*C. de nonnum. pecun.* Nostra verò Exceptio habet in solo  
Mutuo

• 50

Mutuo locum, non etiam in aliis rebus aut contractibus l.11.l.14, pr. C.b.t. Carpzov part. i. const. 32, def. 68, Zoesius π. ff. d. O, & A. n. 25. ubi rationem subjicit. A quo dissentit Cujacius in παρ. C.d. nonnum. pec. in f. cum quo facit Illicon Vmnius disp. ad process. 8. th. 5. n. 35. n. f. ibid. all. Quod si tamen Exceptio hac Actori competit, tunc datur ex omnibus causis, non in solo mutuo. Ita in dote. l.14. §. fin. C.b.t. tot. tit. C.de dot. caut. nonnum. quo de latè Zangerus de Except. p. 3. c. 12. n. 2. seqq. (Andr. Rauchbar. p. 2. qu. ult. per tot.

S. IV.

Opponitur Exceptio nostra Literarum Obligationi. Cujus contractus cum in ff. non fiat mentio, orta controversia est, an tempore ff. in usu fuerit? quod negat Giphanius in antin. de oblig. in gen. n. 19. sed Wesenbecius & Hottmannus affirmant questionem de temporibus Caii, propterea, quod eum lib. 2. Inst. tit. 9. pr. expressè inter Contractus referat. Cujacius verò existimat nullam unquam Literarum obligationem in usu fuisse ante Principes, cum exceptio non numerat pecunia olim fuerit perpetua vid. Ludvvel. disp. ad 3. 12. th. f. A. Zoesius verò in παρ. ff. de reb. credit. n. 1. dicit obligationem quæ literis & nominibus contrahitur in desuetudinem abisse: Licet rem pressius limantibus verba & literæ possent videri potius formulæ, acceptiones ac vincula contractuum, quam veræ conventionum species. A quo non longè abire videtur Bachovius ad Treutl. vol. I. disp 20. th. 2. B. dicens obligationem hanc non esse ex literis, sed ex præ-

A 3

sum-

?

sumpto mutuo : Quem hodiè seqvuntur *Coppen.*  
*lib 2. obs. pract. in instit. cap. 35. Magnif. Dn. Carpz. part.*  
*1. const. 32. def. 66. n. 16.*, alijq; Quamvis igitur non de-  
beamus more sciolorum semper communibus in-  
sidiari opinionibus, *Besold in delib. ff. ex lib. 5. quest. 4.*  
Non tamen placet *Bachovij* hâc in parte opinio,  
præsertim cum à magni nominis *J. C. tis Franzkio*  
*exerc. 10. qu. 9. & Ludv. yell. disp. 12. th. fin. B.* refutata sa-  
tis sit. Illud adjicio , licet literæ sint de substantiâ  
hujus contractus, *Schneidv. binus in comm. ad 7. de*  
*contract. n. 20.* non tamen sequitur omne pactum,  
vel quemcunq; contractum Chyrographo seu scri-  
pturâ vestitum transire in literarum obligationem.  
Ideo stipulatio scripta non minûs est ac manet is  
contractus id est stipulatio *l. 135. §. pen. ff. de V. O. l. ii.*  
*de duob. reis.* Quanquam Verborum obligationem  
scripturâ fieri posse contra *Wesenb. mag. ff. de V.*  
*O. n. 12.* negemus. Illud tamen concedimus, posse  
eam primò interpositam per Epistolam reiterari,  
& tum datur ex stipulatu actio *l. 17 pr. f. de dol. mat.*  
*met. exc.*

### §. V.

Quamvis sint , qui obligationem civilem  
dari negant, nos tamen non tantùm nostram hanc  
talem esse, sed & plures alias dari probamus. *l. 3. §.*  
*1. ff. de constitut. pecun. l. 59. ff. de conduct. ind. l. 7. §. 2. ff.*  
*de pact. §. præterea 3. de Except.* sicut & hæc nostra sta-  
tim initur, non expectato biennio ut quidam vo-  
lunt, cum præcipue tempus non sit modus indu-  
cendæ obligationis. *l. 44. ff. d. O. & A.* Producit obli-  
gatio-

gatio hæc actionem, quam quidam putant condic-  
tionem ex lege. *l. i. ff. de cond. act.* Quidam vero  
conditionem ex stipulatu, si intercessit stipulatio.  
*Schneidv. d. lit obl. n. 8. Rectius tamen nos statuimus*  
dari conditionem ex literis. *Oldendorpp. class. 4. act.*  
*30. n. 3.*

### §. VI.

Redeamus nunc ad exceptionem nostram,  
quæ in duplice est differentia. Alia enim datur  
Actori seu Creditori *l. 14. §. 2. C. b. t.* & quidem  
intra proximos 30. dies. Postea non audietur, li-  
cet probare velit pecuniam sibi solutam non esse.  
*Zangerus d. tract. p. 3. c. 14. n. 8. seqq. Bachoviūs ad Treut-  
ler. vol. 2. disput. 26. thes. 5. E.* Alia datur Reo, du-  
ratque biennium, & ultra illud nequaquam exten-  
ditur. Textus hac de re satis clari in *l. 8. circa fin. l.*  
*14. C. de non numerat. pecun. tit. 3. de liter. obligat. Coler.*  
*de process. execut. part. 1. cap. 10. num. 216. Donell. lib. 14.*  
*comm. cap. 38. ibid. Hilliger. lit. A. Facbin. lib. 2. controver-*  
*jur. cap. 81. Rimer. decad. 10. quest. illustr. 1. Frantz k. exer-*  
*cit jurid. 10. quest. 10. Et licet magni nominis Viri de-*  
*prehendantur, qui statuant, effluxo etiam biennio*  
*hanc exceptionem competere, modo Reus onus*  
*probandi in se suscepere: cum tamen nullo textu*  
*juventur, illorum castra sequi religio nobis est arg.*  
*Nov. 18. cap 5. Interim alijs defensionibus se tueri*  
*non prohibetur. Excipere enim ipsi integrum*  
*vel contrà scripturam, vel contrà confessionem,*  
*quæ scriptura continetur. Adversus scripturam*  
*opponere potest, hanc scripturam non esse suam,*  
*& si agatur de instrumento Notarij, dicet, suo con-*  
*sensu*

sensu instrumentum non esse conscriptum l.14.C.  
de contrab. & commit. stipulat. l.18.C. de probat. Adver-  
sus confessionem suam dicere valet, se dolo Credi-  
toris inductum aut vi coactum ut confiteretur.  
Zanger. de except. p.3.c.14.n.21.

S.VII.

Adjicio ulterius exceptionem hanc esse  
etiam peremptoriam, & post litem contestatam  
recte objici. l.8.C. de Except. l.3. C. sentent. rescind. per  
pos. Harprecht. d. lit. oblig. n.48. impedit executionem  
ex instrumento publico Guarentigiano. Gomez. var.  
resol. tom. 2. cap. 6. n. 3. Imò de jure præcipue Saxon.  
potest opponi contra Executionem jam intenta-  
tam, dummodo in continenti sit probabilis. Carpz.  
part. 1. constit. 32. def. 65. ubi duos modos quibus in  
continenti probetur, proponit. n. 5. seqq. quod si  
vero talis non sit, mandabitur quidem instrumen-  
tum executioni, Exceptio vero reservatur, vel ad  
reconvencionem, vel processum ordinarium. Me-  
noch. 3. præsumpt. 145. Carpzov. d. def. 66. in fine.

S.IIX.

Proximè jam est, ut videamus quibus hæc  
Exceptio competat. Reo principali dari dubium  
vix habet. Quin & Heredibus non denegabitur.  
l.8.C. b.t. Quibus etiam biennium non currit à  
tempore aditæ Hereditatis, sed ex die consecræ scri-  
pturæ, arg. 5. diutinam possēt. 12. 7. d. usuc. est enim  
biennium illud continuum, nec interrupitur  
morte. l.14.pr.C.b.t. Zanger. d. c.14. n.15. Hic illud  
cum Glossâ controverti posset; num Heredes exce-  
ptio-

ptionem hanc recte objiciant, si Testator in Testamento vel codicillis confiteatur, se recepisse pecuniam ex causa mutui & jubet solvi? quod negat *Gomesius. var. resol. tom. 2. cap. 6. n. 6.* additâ hâc ratione, quod scilicet confessio inter vivos videatur spe futuræ numerationis facta, cum remaneat vivus & possit postea recipere solutionem. Verum spem illam cessare in ultimâ voluntate, cum habeat effectum post mortem, atquè illo tempore non subsit spes recipiendi. Et licet falsa sit legati vel debiti causa in testamento expressa, tamen in vim fidei commissi resolvitur relictum, eò quod præsumuntur testator, exonerandæ conscientiæ causâ, etiam debita non valida solvi voluisse, vel saltem vera confitendo in peccato mori noluisse. *Cyn. Castrens. ad l. 14. C. de non numer pecun.* Datur insuper hâc exceptio etiam Creditoribus Debitoris. *l. pen. C. b. t.* Fidejussionibus, Mandatoribus. *l. 12. C. b. t.* idquè quia rei cohæret, vel, ut alij, ne saltem aliquâ viâ improbitas sortiatur effectum. Expromissori verò non datur *l. 6. C. b. t.* si tamen nec ei pro quo expromisit solvatur, etiam huic non denegari rationis est. *Zoesius n. ff. de O. E. A. n. 27.*

### §. IX.

De Civitatibus non usquequaq; constat, num illis, Exceptio hâc competit? ratio dubitandi sumitur inde, quod ille opponat hanc Exceptionem, qui mutuum accipere potest. Inde inserit *Fachin. lib. 2. contr. 87.* cum *Civitates l. Civitas 27. ff. de reb. credit.* mutui datione ita demùm obligentur, si probatum sit,

B

ad uti-

ad utilitatem eārum versum esse, quo de Matth. Coler. p. 2. c. 3. de proc. Exec. n. 352. seqq. faciet hēc probatio versionis, ut perpetuō illa etiam exceptio competat. Quod idem sentit Gæddæus ad l. 17. ff. de V.S. n. 23. Sed cum versio hēc sive probata sit, sive non præsupponat solutionem, sequemur, hēc in parte Bachovium ad Treutl. d. l. 20. th. 5. C. ubi ita: & si quidem Civitates non obligantur, ubi in rem eārum versum non est, exceptione non numeratæ pecunia non indigebunt. Sicut ex adverso, si in eārum utilitatem versa pecunia est, nullā exceptione defenduntur. Hoc tamen se habet, si Magistratus vel Administratores Civitatum pecuniam mutuo sumpserint, aliter tamen est, si Consules & Senatores convocatis & consentientibus omnibus Civibus, vel saltem omnibus consiliarijs & Tribunis Plebis ex mutuo obligentur, de quo Bachov. ad Treutl. d. l. lit. A. Carpzov. p. 2. constit. 6. def. 18. n. ii. seqq. Tunc non refert utrum pecunia in rem versa sit, ne ne. Matth. Coler. p. 2. c. 3. n. 394. ideo exceptioni huic locum omnino darem.

#### §. X.

Non minus controversum etiam illud est, an ei Exceptio hēc competit, qui præsentibus testibus confessus est, se pecuniam accepisse? Quod acriter defendit Alciatus & cum eo Façineus lib. 2. contr. 55. qui tamen sibi quodammodo videtur contrarius. Nobis negativa verior videtur, cum præcipue hic nulla præsumptio pro Debitore militet. Bachov. ad Treutl. d. l. verb. imò nec ei quidem. Hunnius ibid. Facit quod hoc casu Debitori alia juris remedia relictā sint, ut scili-

scilicet vel de errore doceat. l. 13. C. de non num pec. l. 7.  
C. de jur. & fact. ign. Fachin. d. l. vel exceptionem dolii  
mali opponat. Bachov. d. l. Quæ tamen dolii mali ex-  
ceptio tunc Debitori denegatur, si instrumentum  
de super confectum fuerit. Schrader de F. 2. p. princ. 9.  
sect. 13. n. 67.

### §. XI.

Dictum supra est Exceptionem hanc Reo  
principali competere, quæritur hinc *an* is illi possit  
renunciare? quod alij affirmant, alij verò talem re-  
nunciationem non quidem planè validam esse vo-  
lunt, id tamen efficere, ut renuncianti onus pro-  
bandi injungatur, quorum fundamenta proponit  
*Colerus de proc. exc. p. I. c. 10. n. 196. seq.* Negativa erit  
verior, per eandem rationem, quæ mulieri, renun-  
cianti SC to Vellejano succurrit, de quo *Wesentl. n. ff.*  
de *SCt. Vell. Zoes. eod. n. 17.* Faciunt huc non in elegan-  
ter l. 23 ff. de R. J. l. 7. S. 7. l. 27. §. 3. ff. de pact. Hartm. Pist.  
lib. 4 q. 12. n. 4. *Coler. de process. exec. d. l. n. 199. seqq.* Quod  
tamen communiter limitatur, nisi (1.) ex inter-  
vallo repetita renunciatio. *Felinus in c. s. cautionis 28.*  
*X. de fid. instrum. Schneidvvinus de liter. obl. n. 19.* quæ  
limitatio displicet *Covarruo. 2. var. resol. 4. n. 3. vers. 2.*  
vel (2.) pars soluta sit. l. 4. C. b. t. sed tunc putant,  
quidam dari adhuc exceptionem hanc ratione  
partis. l. 2 l. 9. C. b. t. *Surdus de aliment. tit. 5. pr. 22. n. 16.*  
*Harprecht. de liter. obl. n. 52.* vel (3.) jurejurando sit  
firmata: quod tamen rursus à multis in dubium  
vocatur, propter l. fin. C. b. t. Quam quidam ad Cre-  
ditorem, qui jurejurando promisit solutionem re-  
ferunt. Potest tamen etiam de reo intelligi, cum tali

juramento conditio subsit, si pecunia solvatur. Semper etenim juramentum sequitur naturam actus, cui apponitur, habetq; eandem clausulam, quam ipsa cautio principalis. Vasquius tom. i. l. i. s. 9. n. 16. & 20. Beust, ad l. i de jurej. n. 252. Hartm. Pist d. l. 4. qu. 12. n. 2. & 3. Facit huc non immerito Canonistarum regula: Renunciatio jurata non extenditur ad jura post renunciationem illam nata. arg. c. 25. X. de jurejur. ubi sponsus sponsæ fornicationem præcedentem opponere, si ei jurasset, non potest, ob subsequentem tamen in uxorem ducere non tenetur. Quia in illo juramento talis debet conditio subintelligi, si videlicet illa contra regulam desponsationis non venerit. Ita & renuncians Exceptioni huic sub fide juramenti dubio procul nil nisi subsecuturam solutionem sperat; Cum igitur Creditor promissis non stet, non poterit illa jurata renunciatio ad illum casum qui post renunciationem accidit extendi. Aliter tamen longe se res habet in contractibus invalidis & prohibitibus, quæ talem conditionem non præsupponunt, ijs enim si addatur juramentum, non quidem confirmat contractum, servandum tamen est, jure Canonico c. quamvis 2. de pact. in sexto c. et si chrysostomus 26. c. cum contingat 28. X. de jurejur. Exempla ponit Gail. lib. 2. observ. pr. 40. n. 4. Vid. Bachov. ad T. vol. I. disp. II. tb 9. lit. c.

### S. XII.

Illud ulterius à Fachineo lib. 2. contr. 86. in dubium vocatur: Si juramentum promissioni Debitoris accesserit, an absolutio necessaria sit, ut Exceptio nostra objici valeat? Decidit ibi questionem negativè, propte-

propterea quod tale juramentum conditionem  
habeat, si pecunia numerata fuerit, quod & non so-  
lum hic sed in omni juramento observatur, ut sub  
conditione præstitum videatur, si & altera pars sit  
promissis c.3. X. de jurej. Quod tamen Panormitanus  
ibidem in fine intelligi vult de obligationibus corre-  
spectivis, in quibus exceptio non adimpieti con-  
tractus locum tantum habet, de quibus videri po-  
test Hartm. Pistor. p. I. q. 22. Mascard. concl. 891. Carpzov.  
lib. 2. resp. 88. Possent hinc quædam dilputari de  
relaxatione & absolutione à juramento, si enim ea  
vel à parte c. 1. X. de jurej. ibidem Panorm. Carpzov. lib. 3.  
Jur. for. Eccl. def. 55. n. 18. ut nec relaxatione superioris  
opus sit, c. 2 X. de renunc. c. 13. X. de Censib. Gail. lib. 1. obs.  
24. n. 1. Berlich. p. 2 concl. 44. n. 17. vel à superiori, & Ju-  
re Canonicō tantum à Magistratu Ecclesiastico c. 2.  
15. § 29. X. de jurej. Hodiè tamen etiam à Magistratu  
politico, Episcopalis Juris exercitio munito. Gail.  
lib. 1. obs. 25. In Imperio Romano relaxatio pertinet  
ad Cameram, p. 2 ord. Cam. tit. 24. Mynsing. cent. 3. obs.  
99. n. 4. Carpz. lib. 3. jurispr. Eccles. defin. 2. n. 22. Sed potest  
non immerito tota hæc materia de absolutione &  
relaxatione à Magistratu facienda suspecta videri  
cum Matth. Wesenbeccio in π. ff. de jurej. in fin. & Hilli-  
gero ad Donell lib. 21. c. 13. lit. y, ubi tūm demūm usum  
habere quendam hanc relaxationem tradit, si du-  
bitetur num juramentum licitum sit, nec ne, eoq;  
refert Constitutionem Saxon. p. 2. const. 36.

### § XIII.

Competit Exceptio nostra ei, qui fatetur se  
pecuniam accepisse, quam non accepit. Hinc data

*dat à occasione queritur de eo, qui fatetur se ante annum  
pecuniam accepisse, an hæc exceptione adhuc uti possit?*  
*Quod quidem multi firmiter negant, præcipue  
propter l. 5. & l. 13. C. b. t. & quod præsumptio desit,  
spe scilicet futuræ numerationis pecuniam solu-  
tam esse. Cùm tamen, quod supra etiam dictum,  
eadem facilitate quis ad hanc confessionem addu-  
catur, quâ confitetur simpliciter se pecuniam ac-  
cepisse; Et sèpè oboerati Debitores aliud dicerent,  
dummodo pecuniam accipiant. Gomez. tom. 2. var.  
resol. cap. 6. n. 4. Harpprecht. ad J. de lit. obtig. n. 32. dico  
odiosam hanc Exceptionem non esse (ut Bachovio  
ad Treutler. d. l. th. 2. lit. c. videtur, ) licet contra pro-  
priam scripturam opponatur. Idem enim & de  
simplici confessione dicere possumus.*

#### §. XIV.

*Ultimo de Cambio Mercatorum non conveniunt  
Dd. exercitij gratiâ definiemus Cambium, quod sit  
conventio, ultrò citroq; obligatoria dandi redden-  
di quæ pecuniam, qnæ consensu, re & pretio perfic-  
titur. Ad hanc igitur conventionem celebrandam  
solent mercatores uti literis illis Cambij, quæ ab  
alijs eorundem literis, Advisi scilicet, differunt. Hæ  
conficiuntur ad eundem, ad quem ipsæ literæ Cam-  
bij, præ ad monentq; de consignatione literarum  
Cambij sibi faciendâ, & distinctius instruunt de  
peragendis. Scaccia de commercio Camb. §. 1. quest. 5. n.  
77. & 78. Deinde tenendum, Cambium aliud pu-  
blicum esse, quod à Campsoribus publicis & solen-  
niter constitutis, quales in plerisq; celebrioribus  
Emporijs habentur, exercetur: aliud privatum,  
quod*

quod indifferenter Mercatores exercent. Dom. Sot<sup>e</sup>  
de Just. & Jur. lib. 2. qu. 8. art. 7. & qu. 9. art. 11. Et de illo  
nobis hoc loco tantum res est. Dicimus igitur, cum  
Campsoribus his Ordinis vel excussionis Benefi-  
cium non competere Dd. communiter quos allegat  
Berlich part. 2. concl. 24. n. 45. seqq. tradant, Cambium  
præterea propter exuberantiam fidei adhibetur,  
ne oboeratis & male contentis Mercatoribus an-  
sam litigandi demus, ipsis Exceptionem hanc non  
dandam, quæ alias etiam communis est opinio ce-  
ste Carpzovio p. 1. const. fin. def. pen. & lib. 2. respons. 92. per  
tot. ibi q. allegati.

S. XV:

Essent hic ulterius casus recensendi, quibus  
Exceptione nostra locum non habeat, sed iij ubivis  
sunt obviam. Paucis tamen quosdam, Cessat, si  
quis agnoverit fidem cautionis, nec objecerit Exce-  
ptionem hanc l. 4. C. b. t. Agnoscitur vero præcipue  
solutione. Quam agnitionem non fieri putat Bar-  
tolus add. l. 4. solutione partis, nisi Debitor solvens  
evidenter se referat ad majorem quantitatem Chy-  
rographo contentam. Cessat in instrumento de-  
positionis vel pecunias vel securitates publicarum  
functionum concernente l. 14. S. 1. inf. C. b. t. Cessat, si  
ex causa alterius prioris debiti conscripta sit cau-  
tio l. 13. C. b. t. Plures casus tradit, Schneidvinus d. l. n. 18. Et  
haec vice pro temporis ratione proposuisse suf-  
ficiat. Unicum tantum addo, statuto certas tan-  
tummodo Exceptiones instrumento objiciendas  
permittente, hanc exceptionem non excludi, sed  
eo non obstante adhuc objici posse. Fachineus lib. 2.  
controv. 84. Bachov. ad Treutl. d. disp. 20. th. 2. lit. C.

Corol-

# COROLLARIA.

I.

*Judex Ordinarius non saltem Jure Canonicos sed & Civili tanquam suspectus recusari potest.*

II

*Vsuræ particulatim solutæ, alterum tantum quamvis superent, fortitamen minime imputantur.*

III.

*Pœna Calumniantibus præstituta quadruplum est, in quo tamen rei persecutio continetur.*

IV.

*Aetio rei persecutoria non absorbet pœnam mixtam.*

V.

*Aetio mere' pœnalis & rei persecutoria se invicem non consumunt.*

VI.

*Datur casus pro amico*

F I N I S.

05 A 207

ULB Halle  
004 207 459

3



VDM



